



CL. VIRO  
JO. ALBERTO FABRICIO

S. P. D.

GOTTFRIDUS OLEARIUS.



*Inciderat, VIR CL. nescio quo fato, in manus  
tuas dissertatio mea de Scriptis Socratis, quam  
superiori anno simili, qua hancce, quam nunc  
tibi offero, occasione typis publicis exscribi jus-  
seram. In qua cum & cetera tibi non impro-  
bari pro tuo amore humanissimis verbis significasses, præcipue ta-  
men te affecisse ajebas medelam, quam dicto cuidam Heracli-  
teo male hætenus affecto, in aliquo corollariorum, quæ leges  
receptæ hujusmodi scriptis subtexere nos jubent, tentaveram  
adhibere. Optare te addebas, ut aliquid succisivi temporis re-  
bus hujus Philosophi illustrandis impendere vellem, quem magni  
adeo te facere inquiebas, ut si optioni locus esse possit, hunc u-  
num extare ex veteribus te cupere affirmares. Hoc vero tuum  
de Heraclito judicium, ubi literæ tuæ me edocuisserent, non potui  
non deprædicare mecum præclaram ingenii tui vim, quæ effe-  
cit, ut nequicquam obstante generis scribendi, quod sectatus  
fuit, caligine, virtutes ejus & γενναίότητα clarissime perspiceres,  
quas pauci, sapientissimi tamen ii, inter veteres, pauciores e no-  
stri ævi hominibus cognitæ habuerunt. Ast fecit hoc ipsum,  
ut te potius operi admoveere manum optaverim, quem dudum*